



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Quæst. 924. Quinam igitur absolvere & dispensare possit à pænis statutis tam ingredientibus, quàm admittendibus ad illum ingressum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

buitur facultas concedendi illum ingressum in casu necessitatis eandem attenter aut permittat, constat ex cit. motu Greg. XIII. & Pauli V. & tradunt Castrop. l. c. Delb. du. 44. n. 16. per id permitti autem intelligitur tam permissio activa (quæ fit jubendo, consulendo, januam aperiendo) quam negativa, quæ fit non prohibendo, dum non prohibens potest & ex officio tenetur impedire, quia talis est causa ingressus. Secus est de eo, qui quidem potest impedire, sed ad id tamen non tenetur ex officio Delb. du. 63. nomine verò superiorum hic veniunt tam mulieres quam mares. Delb. du. 64. nomine conventus, dum ei ferenti suffragium pro tali ingressu vel permissione statuitur excommunicatio cæteræque pœnæ, intelliguntur religiosi in unum congregati cum suo capite, cum quando conventus collegialiter congregatus delinquit, omnes consentientes aut non contradicentes puniri debent; non tamen non consentientes seu contradicentes Delb. du. 62. de cætero à pluribus Pontificibus istiusmodi excommunicationem reservatam, statutam ingredientibus clausuram certarum monialium in specie vide apud Delb. l. c. n. 18. pœnas tamen illas privationis & inhabilitatis statutas in motu Greg. XIII. non incurri ab iis qui sine licentia & citra talem prætextum ingrediuntur aut ingressum permittunt, sed solum ab iis, qui sub dicto prætextu facultatis obtentæ id faciunt, tenet Delb. l. c. du. 58. à n. 2. citatis pro hoc Suar. ubi ante n. 11. Rodriq. l. c. q. 48. a. 2. Barb. cit. d. 102. n. 37. Dian. p. 2. tr. 5. resol. 32. Bonac. de claus. q. 4. p. 5. n. 4. Filliuc. tom. 1. tr. 15. c. 5. n. 119. & plures alii ab eo citati, eò quòd dictus motus sit pœnalis, adeoq; non extendendus ab alia in eo non expressa etiam ob paritatem rationis, quin nec ob majoritatem rationis quæ videtur gravius esse ingredi absque omni licentia, quam ingredi sub dicto prætextu, dum quandoque minora delicta ob specialem rationem (qualis esse posset in præfenti, quod sub dicto prætextu ingrediantur audacius) gravius puniantur, prout probabilis docent apud Delb. l. c. n. 11. cum Gl. in Clem. 1. consang. & affin. Cajet. V. excommunicat. in princ. Sanch. de matr. l. 10. d. 4. n. 3. Barbof. l. c. alleg. 101. n. 82. & alii contra Gutt. 99. can. l. 1. c. 10. n. 3. Molin. de primog. l. 1. c. 5. n. 10. Lambertin. de jurep. l. 2. p. 1. q. 10. a. 4. Unde etiam probabilis illas pœnas non incurri ab eo, qui ingreditur ad malum finem sine tali prætextu ait Delb. l. c. quamvis, ut idem du. 54. n. 12. & 13. talis ingressus ob malum finem v. g. luxuriæ sic casus unus ex quinque reservatis Papæ, à quo nemo in virtute privilegiorum potest absolvere. Sed nequæ dictæ pœnæ incurruntur tam respectu ingredientium, quam permittentium ingredi sub prætextu obtentæ ad hoc facultatis, nisi id fiat excusante ab illis incurrendis ignorantia, tam juris quam facti, etiam quæcumque vincibili, & affectata & crassa, exceptâ solum ignorantia ita crassa & supina, ut cum ea ingredi aut permitti ingredi sub dicto prætextu reputetur, audacia, temeritas, præsumptio, ut fusè declarat & probat Delb. l. c. du. 59. Sect. 1. & 1. 2. per tot. quem vide, in quo tamen casu, etsi statuta illa excommunicatio vi Bullæ Gregor. sit reservata Pontifici, pœnæ tamen cæteræ ei reservatæ non sunt; quin tolli possint ab aliis Delb. du. 60. n. 1.

Quæst. 924. quinam igitur absolvere & dispensare possint à pœnis prædictis statutis tam ingredientibus quam admittentibus ad illum ingressum?

REsp. primò: ab excommunicatione, quam incurrunt simpliciter (id est sine dicto prætextu facultatis) sine necessitate & licentia in scriptis, ingredientibus à Trid. statuta, cum non sit reservata Papæ, absolvere possunt jure ordinario Episcopi & Prælati regulares suos subditos & omnes Confessarii approbati suos penitentes Arg. c. nuper de sent. excom. Delb. l. c. du. 69. n. 2. & 3. Contrarium est de excommunicatione à Greg. XIII. statuta ingredientibus & ingressum permittentibus sub memorato prætextu, à qua non nisi Papa ejusque pœnitentiarii absolvere possunt. Nisi tamen talis ingressus & permissio sint occulta; tunc enim absolvere possunt Episcopi & Prælati habentes privilegium absolvendi suos subditos à casibus Papalibus occultis, & regulares virtute privilegiorum suæ religionis alique Confessarii approbati virtute Bullæ cruciatæ semel in vita & semel in morte. Delb. l. c. uti & omnes Episcopi absolvere possunt ab omnibus censuris contractis ob delictum occultum juxta Trid. Sess. 24. c. 6. de reform. uti & religiosi absolvere possunt vi privilegiorum à casibus similiter occultis specialiter non reservatis Episcopo Delb. du. 69. n. 15. Unde etiam illius virtute Episcopus absolvere potest ingredientes ob malum finem clausuram, qui aliàs est casus specialiter reservatus (& à quo absolvendi privilegia aliàs concessa religiosi revocata notant Bonac. de claus. q. 1. p. 5. n. 1. Tamb. de jure. Abb. d. 22. q. 1. n. 3. Delb. du. 69. n. 5.) dum ingressus talis & delictum est occultum, Suar. in 3. part. d. 30. f. 2. n. 12. Dian. p. 2. tr. 5. resol. 35. Delb. l. c. n. 13. & alii apud illum contra Zerol. Riccium, Graff, & alios apud eundem.

Quæst. 925. An & qualiter quoque prohibetur alloqui & frequentare moniales citra ingressum in clausuram?

REsp. quæ citra hæc statuuntur in Jure Canonico sunt sequentia primò c. ad monasteria de vita & honest. Clericor. dicitur: *Monasteria monialium si quisquam Clericus sine manifesta & notabili causa frequentare presumpserit, per Episcopum arceatur, & si non desiterit, ab officio Ecclesiastico reddatur immunis. Si laici, excommunicationi subdantur, aut à cœtu fidelium fiant penitus alieni.* Secundò c. periculofo h. t. dicitur: *Nulli, etiam honesta persone nisi rationabilis & manifesta causa existat, ac de illius ad quem pertinuerit, specialis licentia ingressu vel accessu pateat ad easdem moniales.* Quod posterius cap. innovatur per Trid. Sess. 25. c. 5. de regular. uti & per Pium V. in motu, qui incipit: *Circa pastoralis officii.* Unde patet diversitas inter utrumque textum, dum c. monasteria. Solis vitri prohibetur solum accessus frequentia, & post comminationem ab Episcopo factam clericis non desistentibus à frequentia accedendi intentatur excommunicatio, non quidem ipso jure lata, sed per Episcopum ferenda. In capite autem periculofo interdicitur tam mulierum, quam virorum ad moniales accessus absque eo, quòd transgressoribus hujus dispo.